


unà cum aqua sua, ut hujus nihil infra illius labra, planitiem interim perpetuò contingentia, proflueret; ut nec mensæ planities, nec vitri labra admodum polita essent.

V. Quia Mercurium in Baroscopio sive Tubo Torricelliano ab aëre externo, qui argento vivo exteriori in vasculo incumbit, sustineri statuimus, non poterat non animum facillimè subire hæc sequela & cogitatio: Mercurium ergo in tubo descensurum esse infra solitam altitudinem, tandemque cum exteriori in vasculo ad æquilibrium reductum iri, si Barometrum intra recipientis exhauriendum ita statui posset, ut exhausto postmodum aëre recipientis vasculo incumbente, nec alio externo admissio, exterior in vasculo Mercurius minus aut nihil amplius premeretur. Eum

Fig. 6.



in finem ex charta spissiore paravimus sustentaculum quoddam MNO, (& quidem intra ipsum recipientis ex frustis suis conglutinatum, quia majus requirebatur, quàm ut integrum per aperturam A demitti potuisset) quod esset instar fundi, parte sui O recipientis collo G inferendi ac tubulos H, I, K, L, per media sua foramina illæsos transmittentis: supra hunc fundum demisimus Baroscopium cum suo vasculo per orificium recipientis A, suoque hoc ipsum operculo B occlusimus, ita tamen ut Baroscopii longior tubulus per operculi foramen C prominere; ac cerâ resinosa postea tum operculi

Phæn. VI.

F

com-